





1795, 22

DE  
RITE INSTITVENDIS  
NOSOCOMIIS CIVICIS.

---

SCRIPSIT

ET

SVMMOS ARTIS MEDICAE HONORES

IM PET RANDI CAV SA

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

D. IOANNE GOTTL OB HAASIO

ANATOM, ET CHIRVRG. PROF. PVEL. ORD. FAC. MED.  
SENIORE REL.

A. D. V. Jun. CICICCCXCV.

AD DISCEPTANDVM PROPOSVIT

AVCTOR.

FRIDERICUS AUGUSTUS  
WAGNER

DRESSENSIS

MEDICINAE BACCALAVRUS.

---

LIPSIAE

EX OFFICINA RICHTERIANA.

LITTE INSTITUTARINDIS  
MOSOCOMIIE CIVICIS

Die Arzneykunst hat dieses mit der Kriegskunst gemein: Beyde Wissen-  
schaften sind unter Menschen unentbehrlich; beyde sind verheerend,  
wenn sie mittelmäsig, d. i. schlecht ausgeübt werden; beyde im Ganzem  
menschenhonend, beyde menschenhaltend, wenn sie gut getrieben  
werden.

Stoltz

HVNDE MICHEN AGEDZMIGAV  
VIRIS  
EXCELENTISSIMIS, IVRIVM CONSVLTISSIMIS  
AMPLISSLIMIS DOCTISSIMIS  
CIVITATIS DRESDENSI  
CONSVLIBVS  
SYNDICO  
PRAETORIBVS  
ET  
RELIQVIS EX ORDINE SENATORIO  
PATRIBVS  
PATRONIS GRAVISSIMIS

HVNC LIBELLVM ACADEMICVM

V I R I S

MICHTVLLSISME VAVIN CONSVLSSIMVS

AMPLISSIMVS FOCCTISSIMVS

PIA MENTE

OFFERT

СУДИТЬ СА

ПРИГЛАШЕНЫ ОБРАТИТЬСЯ

СУДИТЬ СА

СИМВОЛЫ СОСУДЫ

FRIEDERICVS AVGVSTVS WAGNER.

---

§. I.

*Prooemium.*

**Q**uemadmodum *Politia universalis* saluti publicae communique omnium securitati firmandae, stabiliendae omnibusque modis augendae studet; ita *Politia medica* versatur in eo, vt ciuium valetudo seruetur integra atque incolmis, amissa restituatur, omniaque huic consilio conuenienter ordinentur, communes vero morborum caussae procul habeantur. Ex quo perspicitur, justam atque legitimam Politiae medicae administrationem ad rei publicae felicitatem tuendam atque augmentandam valere quamplurimum. Etenim in corpore humano bene constituto et satis virium habente, adeoque ad omnes ac singulas actiones, ipsis proprias, exequendas apto, haud exigua insunt praefidia et adminicula, vt mentis integratatis, ita etiam animi morumque probitatis: hae autem animi conditiones homines sane aptos reddunt ad perfungenda, tum quae quisque sibi ipse, tum quaeалиis, et praeципue iis, quibuscum arctiori quodam vinculo conjunctus est, inter hos vero maxime ciuitatis rectoribus debet, officia. Iam vero, si omnes ac singuli homines, societate ac legibus conjuncti et in vnum quasi corpus coaliti, iisdem legibus atque communi suo ipsorum commodo satis conuenienter agunt, seu, quod idem est, si officiis, quae vel natura et ratio suadet, vel magistratus imperat auctoritas, satis faciunt: totam ciuitatem, caeteris paribus, non posse non summa, quae in humanam sortem cadit, felicitate frui ac robore, quis est qui audeat negare? Quae quidem per

A

se

fe clara, rite contemplanti non potest esse obseurum, cum  
*Politiam medicam* grauissimam facile illius generalis s. vniuersali partem constitueret, tum accuratam follicitamque ipsius euram et gubernationem valde esse necessariam omniq[ue] opera promouendam.

Politiae medicae *administrationem* proprie ad reipublicae rectores pertinere, perspicuum est. *Disciplina* vero Politiae medicae aequae ad medicum, atque ad magistratum, spectat. Est autem haec disciplina nihil aliud quam complexus regulorum quibus sanitatis publicae conseruanda ac resarcendiæ administrativa definitur. Atque hujus disciplinae colendas et magis magisque promouendas officia praecepit incumbit medicis; ut pote qui accuratiōri cognitione earum rerum, quas singulorum hominum valetudini proſint ac nocent, adjuti optime dijudicare poſſunt atque decernere, quae publicae sanitati proſpiciant officiantque. Inter reliqua hujus doctrinæ capita non infimum locum obtinet illud, quod de aegris pauperibus publico ſumtu alendis curandisque agit. Cum autem dupliè modo inopum sanitati consulii a republica poſſit; ſive ut domi ſuae victum et medicamenta quiske accipiat, ſive ut in commune Nofodochium receptis; ea quea cujusuis morbus poſcit, eura adhibeat, omisso priori illo modo, posteriore tantum breiter explanare mecum conſtitui; praeſertim, cum perſuaſſimū mihi fit, Nofocomia bene ordinata atque composita, non modo aegris publicis impensis fanandas, multo magis, quam medicamentorum in priuatas aedes elargitionem, utilia eſſe, ſed etiam ad eorum, qui artem medicam exercent, ſcientiam perficiendam, experientiam amplificandam, iudicium practicum acuendum et perpoliendum, longe aptiora. Sed cum forſan multi lectores alter ac ego de hac re ſentiant, ſeu a contrariis ſent partibus, non alienum videtur, antequam ad argumentum, quod tractandum nobis ſumimus, accedamus, rationes proponere, vel potius jam coūmemoratas explicare, quibus permoti ſtatuiimus atque contendimus, Nofocomia recte composita aliis institutis longe praeferenda eſſe.

Nofo-

Nofocmia bene ordinata defensuro mihi fatendum quidem est, aegrotos, quorum res familiaris permittit, ut in cubiculo satis amplio, lucis solaris et aeris liberi atque incorrupti accessui patente versari aut decumbere queant, et adeo supellectili aliquis auxiliis necessariis haud destituantur, facilius et breviori temporis spatio, si caetera sint paria, a morbo suo liberari, et sanitati restitui, quam aegros, Nofocomio, vel optime instructo, commissos. Etonim in talibus aedificiis, in primis magno aegrotorum numero refertis, etiam secundum omnes artis regulas instituta sint, fieri vix potest, ut aeris salubritas intaminata servetur. Et quotusquisque hominum, fortuna sinistra non pressorum, sed maxima saltem parte eorum rerum, quae ad bene beatique viuendum, et igitur etiam ad sensus ingratos, a praeternaturali quadam affectione profectos, subleuandos ac mitigandos, necessariae sunt, instructorum, — quotusquisque, inquam hominum descripta conditione gaudentium, aequo ferat animo se a dulci parentum, conjugis, liberorum, et amicorum consortio diuelli! his nempe vitae solitatis commodisque necessarium est carere eos, qui in Nofocomiis nutriuntur. At quis est quin videat, commodis istis fere omnibus eos destituti, quorum miseriae publico sumtu subveniendum est; hos domi suae in conclauibus angustis, squalidis, putidissimo aere repletis, vel pluviae frigorige male resistentibus habitare, cibis salubribus carere, vel noxios sibi indulgere; amicos et necessarios vel nullos habere, vel tales, a quibus cum ipsis pauperes sint frustra beneficia expectent, aut qui, victus quaerendi causa totis diebus domo abesse, et aegrotantes sibi relinquere cogantur: horum denique morbos continuo suae et suorum egestatis et aerumnae sensu et conspicu curarumque domesticarum acerbitate necessario ingruscere? Quae omnia qui consideret, facile, puto, fatebitur, tantum abesse ut pauperum aegrotorum gratuita curatio, victu et medicamentis in singulos domi suae distributis, majorem, quam Nofocomiorum institutio utilitatem pollicetur, ut potius haec illi praeferenda sit. Dicat forte aliquis, sumtuosiora esse Nofocomia quam privatam illam aegrotorum curationem;

A 2

sed



sed facilis ad haec responsio est: nimurum, vbi de bono publico agitur, id quod utilius salubriusque est, cum optio datur, eligendum est, licet majori impensa redimatur; turpisque est in collocandis beneficiis parsimonia, quae ipsum beneficii fructum rodit.

De bene ordinato Nosocomio loquor. Nam in tali aedificio summa adhibetur opera, vt ne aer humidus, nocivis particulis inquinatus, aut aliis modis hominum vitae infestus, in aegrotorum aut convalescentium cubiculis flagnet, suamque detimento am vim in illorum corpora exferat, sed vt purus, reficiens et pro morborum diuersitate rite temperatus quoquis tempore suppetat. Curatur deinde omni studio, vt supellex et linteia pura in sufficienti copia semper adsint. Prospicitur porro, vt aegrotis aequae ac convalescentibus justo tempore non modo alimenta, eaque ipsorum singulis morbis eorumque temporibus, tum quoad copiam, tum quoad indolem, accommodata, sed etiam medicamenta idonea offerantur. Quam saepe vero cuncta haec salutem restituendi ejusque redditum accelerandi adminicula in pauperum aegrorum domiciliis partim negligantur, partim deficiant, nemo medicorum est, qui facile, si vel tantillum temporis arti facienda impenderit, fatis perspiciat. Ex hactenus dictis appareat, aegrotos publicis impensis alendos sanandosque plus utilitatis ex Nosocomiis recte ordinatis capere, quam ex institutis alterius generis.

Sed plures sunt adhuc rationes, ex quibus intelligatur, Nosocomia, secundum artis regulas composita, illis institutis anteponenda esse.

Nemo, opinor, negat, artem medicam generi humano esse utilissimam, et omni studio ulterius perficiendam, quantumvis opera ac eloquentiae *Rousseauini* laudi hujus quasi diuinae artis, vt ceterarum omnium minuendae ac deprimendae impenderit. Iam disciplinae salutaris culturam et perfectionem Nosocomia rite composita mirum in modum adjuvant, vel, vt  
rem

rem dicam, quemadmodum sentio, longe plures opportunitates commoditatesque ad hoc consilium adferunt, quam instituta toties commemorata. Argumenta, quibus assertio nostra nititur, sunt fere haec. Primo, medici aequae ac chirurgi, in Nosocomio artem exercentes, longe majorem aegrotorum numerum tractare valent, quam privati. Quantum enim temporis hi per verbis plateas currendo amittunt, tantum illis licet morbis sanandis tribuere. Quo plures autem aegros medicus aut chirurgus tractando habet, dummodo eorum numerus modum non excedat: eo ampliorem et accuratiorem suae artis cognitionem, eo maiorem experientiae ambitum et judicii practici aciem sibi comparare posse, planum est atque apertum. Deinde medici et chirurgi, Nosocomiorum curam gerentes, et virtutumque adjutores, cum per excursiones haud defatigentur, quando quidem aegri, ipsorum curae commissi, uno aedificio comprehenduntur, fane morborum caufas, indolem, sedem studiosius inquirere, eorum decursum melius obseruare, varia et diuersa iudicationum s. crismi, ipsis familiarium, genera modosque diligentius attendere ac stabilire queunt. Sed non solum propter excursionum vacationem medici et chirurgi, in Nosocomio artem facientes, plus omnino temporis ac sedulitatis collocare in illis studiis possunt, quam alii; verum etiam quo lubet temporis momento aegros visitare atque eorum statum curatius perquirere. Hac autem ratione tempora, quibus morbi cuiusque exacerbationes ac remissiones incident, aequae ac signa, tum vtrisque antecedentia, tum praefentes concomitantia, facilissime detegere, exhibitorum medicamentum effecta, et variam, quam ceterae res in aegrorum corpora habeant, potestatem, accuratissime obseruare, ac naturae morbo obluctantis propriamque salutem defendantis vires ac molitiones optime ineuertigare possunt. At quis tam pinguis sit ingenio, vt non intelligat, his studiis a multis artis profensoribus satis diu continuatis ipsam admodum perfici oportere, et ad huncce finem Nosocomia bene instituta plurimum habere opportunitatis! — Sicut autem medicis atque chirurgis in Nosocomiis disciplinam salutarem exercentibus, cuncta, ipsis

incum-



incubentia, munera melius obœundit et ampliorem sibi scientiam comparandi data potestas plurimum ad artis vniuersae progressus accelerandos valet: ita etiam aegrotis, curae illorum commissis, valde est proficia.

Possem quidem alia adhuc argumenta eaque quam plurima asserre, ex quibus pateret, Nosocomiis longe majorem laudem, quam gratuitæ illi cibi et medicamentorum ostiati distributorum largitione deberi <sup>a)</sup>. Sed haec tacitus praetereo, sine vñterioribus ambagibus ad propositum meum accedens. Adjicere tamen opus est, me nequaquam de Nosocomiis in genere, sed tantum de *civiciis*, disputare velle. — Primum igitur de loco Nosocomiis eligendo; deinde de illorum materia atque structura; porro de Nosocomii partitione; posthac de aegrotorum in conclavia distributione exponam. Postea de conferuanda in Nosocomiis aeris salubritate; de cura quadam necessariam supellectilem; porro de victus ratione et cura aegrotis habenda; de Nosocomiorum praefectis et curatoribus; deinde de medicis et chirurgis Nosocomiorum; tandem de medicamentorum pro Nosocomiis delectu; et denique de conualescentium cura disputabo.

## §. II.

### *De loco Nosocomiis exstruendis apto atque salubri.*

Cuius rei vñiuersim in exstruendis hominum tectis atque domiciliis ante omnia habenda ratio est, nempe loci salubritatis: eiusdem etiam præ ceteris habenda in exstruendis Nosocomiis. Quod quidem nemini, spero, mirum videbitur, secum reputanti, inter omnes, tum internas, tum externas ani-

manti-

<sup>a)</sup> Qui plura de Nosocomiorum præstantia præ aliis eundem finem habentibus institutis, legere cupit, aeat doctissimi HENSLEI tractatum inscriptum: *Ufer Krankenanstalten*, Altona 1785. et Io. THEOPH. LEVSLERI disert. medico — politic, inaugurelam de utilitate Xenodochiorum, Argent, 1779.

mantium vitae, sanitatis, morborum mortisque causas, aerem  
 facile esse grauissimam, ejusque integritatem non minus ad re-  
 stituendam, quam ad continuandam vitam perfectam, i. e.,  
 sanitatem requiri. At vero hoc profecto mirationem facit, per-  
 multa deprehendi Nosocomia, in quibus exstruendis, ut alia-  
 rum magni momenti rerum, sic etiam loci ipsis apti cura plane  
 fuerit neglecta. Etenim cum maximam hominum in Nosoco-  
 miis viuentium partem aegroti constituant; aegroti autem et  
 praesertim acutis atque putridis morbis laborantes; respirando,  
 exhalando multisque aliis modis aerem ipos ambientem in eo-  
 dem temporis spatio longe impuriorem et respirationi ineptio-  
 rem reddant, quam homines bona gaudentes valetudine: appa-  
 ret, in exstruendis Nosocomiis magis fere adhuc necesse esse,  
 loci salubritatis habere rationem, quam in exstruendis aedibus  
 priuatis. Igitur, antequam ad tale aedificium exstruendum  
 accedas, curae tibi cordique sit, locum ad id satis aptum eli-  
 gere. Qualis autem locus Nosocomio exstruendo satis sit ido-  
 neus, optime intelliges, si habeas perspectum, quales huic con-  
 filio inepti sint loci. — Omnis locus jure meritoque ut inuti-  
 lis proscribendus est, ubi vel aeris perflatus, aut montibus altis,  
 aut excessis aedibus, aut sylvis impeditur, vel vbi aquae sta-  
 gnantes reperiuntur, vel vbi atmosphaera aliis ex causis noxiis  
 halitibus grauis, aut solum per se uliginosum ac nimis depres-  
 sum est, vel ubi tandem vellemens ac percellens audiri solet  
 strepitus. — Quae cum ita sint, exstruantur Nosocomium in  
 loco satis libero, neque in montibus aut aedibus altis, neque syl-  
 va, circumdato, elato potius quam depresso, aequa stagnis  
 et paludibus, atque ab opifício res noxios halitus exspirantes  
 tractantium, ut saponariorum, cerdonum imprimis alutario-  
 rum, aut laborando magnum strepitum excitantium, ut fabro-  
 rum ferrariorum, dolariorum etc. officinis, nec non a sepul-  
 cretis, remoto, cuius denique atmosphaera vicino flumine,  
 certe aliquot riualis moueaturo continuo, reddaturque salubris  
 atque reficiens. Quapropter ii, quibus cura Nosocomium  
 condendi atque insituendi commissa est, studeant, ut, nisi gra-  
 viSSima impedimenta obstant, illud extra urbem, saltē prope  
 ejus



ejus moenia, exstruatur. Hoc enim Nosocomij situ non modo salubritati ipsius consulitur, sed etiam urbis incolarum valetudini, siquidem omnes res, quae ciuium sanitati periculum minitantur, quantum fieri potest, ab illorum sedibus arcendae sunt.

Curandum quoque est, in primis convalescentium causa, ut hortus aut spatium quoddam vacuum, arboribus tamen, ac praesertim betulis, obsitum, pone Nosocomium deprehendatur. Nam longe maxima plantarum, fruticum atque arborum pars interdiu aerem vitalem seu dephlogisticatum expirat, cuius ad depellendas et fugandas corporis humani aegritudines per multas, insignis est efficacitas.

Haec de loco Nosocomii exstruendis apto et salubri dicta sunt.<sup>b)</sup>

### §. III.

#### *De materia atque structura.*

In exstruendo Nosocomio ciuali magis curandum esse, ut satis firmum sit ac stabile, quam splendens et magnificum, planum atque apertum est. Neque igitur architectus talis aedificii conetur omnes artis suae in illo explicare facultates, neque, ut ita dicam, experiatur, quid haec possit efficere, sed in eo potius labore, ut pro aegrotorum in illud suscipiendorum numero satis spatiolum, commode prudenterque partitum et omnibus omnino opportunitatibus sit instructum.

Cum aedificii cuiusvis firmitas atque stabilitas non a sola structurae ipsius recta ratione pendeat, verum etiam a materiis ad id adhibitae bonitate: prima artificis cura, post loci salu-

b) De loco Nosocomii exstruendis apto fusius differunt: PETR. XAV. FAVREN in libro: *Entwurf zu einem algemeinen Krankenhouse*, Wien 1784. PETIT in *Mémoire sur la meilleure maniere de construire un Hospital de malades*, Paris 1774. et alii.

salubritatis habitam rationem, debet esse haec, vt *materiam satis aptam*, humorem ex aere atque terra non facile attrahentem, et sua soliditate temporis potentiae quam diutissime obnitenem et quasi insultantem eligat. Quapropter vtatur admodum solidis lapidibus, et quidem lateribus coctilibus, quippe quod lapidum genus humorem maxime respuit, et tamen multum habet stabilitatis; tum vero etiam ligno robusto et bene exsiccato.

Quod ad *formam* Nosocomiorum attinet, variae a variis auctoribus propositae sunt formae. Alii formam *quadratam* laudant; alii, duce PETIT c) laudant *stellatam*; alii, praeeunte MARET d) praedicant *ellipticam*; alii denique aliam commendant. Etsi Nosocomii forma queuis ipsius salubritati, meo quidem judicio, neque multum prospicit, neque multum obstat, dummodo ceterae res, in primis aegrotorum habitacula, bene sint disposita: videtur tamen forma *stellata* cuicunque alii antecedere. Ea enim, ni grauiter fallor, maxime impedit, ne aer, Nosocomium ambiens, stagnet contrahatque stagnando prauam indolem et vitiosam. Huic fere aequiparanda est forma *longitudinalis* f. talis Nosocomii dispositio, vt singulae ipsius partes, minutis interuallis discretae atque dissectae, vnam totius domus constituant seriem. Quamquam enim haec forma aeris tractum ejusque igitur renouationem non admodum juuat, multum tamen abest, vt ipsius stagnationem promoueat. Sicut autem stellata atque longitudinalis Nosocomii forma omnium optimae videntur esse et ad ipsius salubritatem adjuvandam maxime accommodatae: sic forma quadrata huic consilio maxime omnium videtur repugnare, etsi pleraque Nosocomia ita disposita sint. Tantum enim abest vt aeris Nosocomium circumdantis motum illa promoueat et adjuvet, vt potius eum impe-

c) vid. ej. l. c.

d) Nouveaux memoires de l' academie de Dijon, I, Semestre 1782.

impedit atque retardet. Qua ex causa JOHANNES AYKIN<sup>e)</sup> hanc Nofocomiorum formam valde reprehendit. Idem fecerunt alii, in quorum numero Excell. CHR. FR. LUDWIGIVS est f). Sed angusti, quos huic dissertationi praescripsimus, cancelli minime permittunt, ut omnia commoda et incommoda a variis Nofocomiorum formis ac speciebus ipsorum salubritati allata perpendam ac recenseam. Qui ampliorem hujus rei fibi comparare cupit notitiam, legat auctores a nobis adductos.

At vero grauem illam quaestione, quae ex multo tempore summorum medicorum ingenia exercuit, num melius sit; admodum ampla, magnum aegrotorum numerum capientia Nofocomia instituere, an satius plura eaque minor? nullo modo hic loci silentio praeferire possum. Sunt qui contendant, Nofocomia admodum ampla, pluribus iisque minoribus, conjunctim sumptis, multas ob causas praeferenda esse. Ab horum partibus etiam stare videtur STOLLIVS, affirmans omnia incomoda, quae Nofocomia, ad ingentem aegrorum numerum calpiendum comparata, inferre soleant, facile posse evitari, si recte illa et satis prudenter instituantur. Rationem tale Nofocomium recte instituendi a memorato viro egregie propositam, videat lector in ipsius tractatu inscripto: *Über die Einrichtung der öffentlichen Krauenhäuser*. Wien 1788. — Sunt contra alii, qui putent, valde ampla Nofocomia pluribus iisque minoribus esse longe postponenda. Ab horum partibus et ego sum. Nam persuasum mihi est, aerem in tali Nofocomio, propter ingentem exhalationum copiam, hominum in illo vertantium, vitae quam maxime esse infestum, siquidem tum salutis redditum valde retardat, tum vigentium atque florentium homi-

e) Vid. ej. *Thoughts on Hospitals*, Lond. 1771. In germanicam linguam versus repertur hic tractatus, in Samml. auserles. Abhandl. z. Gebr. pract. Aerzte, pag. 207. seqq.

f) Conspiciant hujus viri additamenta ad JOHN HOWARD's Nachrichten von den vorzüglichsten Kranken- und Pesthäusern in Europa, Leipzig. 1791 pag. 438.

Hominum valetudinem facilissime frangit et labefactat. Quia in re vehementer laetor me habere consentientem Excell. E. B. G. HEBENSTREITIVM, virum et doctrina et ingenio eminentem, ac praceptorum animo meo carissimum g).

Non alienum fore arbitror, hic denotare, Nosocomiorum aequae ac aliarum cuiuscunque demum generis aedium extirctionem tempore apto, neque igitur aut extremo aut hieme, esse moliendam; quando quidem his anni temporibus aer atque terra multo humore madida deprehenduntur, adeoque varia materie ad illorum structuram adhibitae generaliter humorem facile attrahunt attractumque facile retinent, sic ut plerumque aedificium, donec destruatur et corruat, humidum atque insalubre maneat.

Haec sunt credo, quae medici est de Nosocomiorum materia et structura tradere. Reliqua architecti sapientiae et dexteritati relinquimus, ad alia de quibus etiam medici est decernere, momenta progredientes.

#### §. IV.

#### *Nosocomii Partitio.*

Postquam expositum est qualis esse debet Nosocomii materia atque structura, quinam ambitus ipsi dandus et quae anni tempora ei exstirendo maxime congrua sint, explicandum nobis est quae partitio dispositioque interna ejusdem sit aptissima, et non modo conditioni aegrotorum ipsorum, verum etiam his opitulantium valetudini maxime salutaris.

Ex varia hominum in Nosocomiis viventium conditione et functione variaque simul rerum, quibus ad varia consilia illis opus est, natura et usu appetet luculentissime, Nosocomium

B 2

g) vid. ej. Lehrsaeze der medizinischen Polizeywissenschaft zum Gebrauch akademischer Vorlesungen. Leipzig. 1791. §. 333.

mium tum diuersis habitaculis pro aegrotis et iis, qui ipsis operem ferunt, tum diuersis cellis et receptaculis pro rebus quibus sani et aegroti vtuntur, esse instruendum. Sed aperiam mentem meam paulo diductius atque planius. I.) Vt oeconomiae inspector administratorque, medicus et chirurgus ac eorum adjutores, et ceteri, qui aegris quoconque demum modo opitulantur, sua et propria in illo babeant domicilia. II.) Vt una vel plures culinae, varia promptuaria, lauatorium, balnearia, alterum viris, alterum foeminis dicatum, officina pharmaceutica, porro receptacula varii generis, in quibus nempe, tum vinum, tum cereuisia, lignum, mortuorum cadauera etc. reponantur, tum aegrotorum in Nosocomium susceptorum veflimenta linteaque et fordina et purgata afferuentur, deinde plures latrinae nec non locus quidam satis lucidus operationibus chirurgicis periciendi destinatus, posthac tabularium, i. e. locus iis addictus qui accepti et expensi rationem habent, ac denique conelave quoddam, in quo tam Nosocomii antistites et curatores, quam medici et chirurgi consilia capiant et inuicem communicent, in eo haud desiderentur. III.) Vt etiam quidam locus, vbi aegrorum modo susceptorum status et conditio a medico et chirurgo inquirantur, et, quod caput rei est, major minorue conelauum aegrotis addicitorum, numerus in eo deprehendantur. — Templum Nosocomio oportere esse adjunctum per se patet.

Nunc disquiramus quot contignationes Nosocomium debat habere et in qua ejus parte aegrotorum conclaui sint ponenda. Quod prius attinet, non dubito cum aliis affirmare, Nosocomio non supra duas contignationes esse tribuendas. Si enim plures habet, aer nimia exhalationum copia refercitur, sique non modo aegrotis, sed etiam conualecentibus, imo sanis fit detrimentosus. Ex qua quidem causa intelligitur, adhuc melius esse, si talis domus unam tantum habet contignationem. — Aegris et iis, qui ex morbis reficiuntur, destinata cubicula non in paumento aedium esse locanda, ratio et experientia docent. Nam aer terrae proximus fere semper, in primis

primis vere, autumno, et hieme, multo humore grauis est. Talem autem aerem multorum morborum, praecipue catarhalium et rheumaticorum sanationem valde retardare ac impedit, quisque intelligit. Itaque potius culinae, lauatorium, balnearia, pharmacopolium et varia illa supra commemorata receptacula, nec non conclave illud, in quo aegrotorum, modo susceptorum, status et conditio a medico et chirurgo examinantur, in paumento locanda sunt. Humanitas vero postulat ut sanorum hominum et conualecentium cubicula ab aegrorum conclaveib[us] separantur, ne vtrique illi ab horum nocivis exhalationibus, ejulatu ac gemitu aut inficiantur aut perturbentur.

Jam deuenimus ad grauissimam quaestionem, praferenda sint spatiofa, multos aegrotos capientia cubicula, an talia, quae paucos tantum aegros capiant? Mihi quidem illa videntur admodum damnanda. Etenim, si in uno eodemque cubiculo, quamvis iphius spatium aegrorum numero quodammodo respondeat, permulti horum, v. c. viginti vel plures adhuc decumbant, facile potest fieri, vt vel vnus eorum, morbo contagioso laborans, cum ceteris omnibus hanc suam affectionem communicet. Sed de hac re in paragrapho sequenti speciatim ac vberius exponemus.

### §. V.

#### *Aegrotorum in conclave distributio.*

Nihil fere magis necessarium in Nosocomio quoconque est, nihilque fere plus facit ad pristinam aut certe meliorem valetudinem aegrotis, in illud suscepitis, reddendam, quam eos pro morborum, quibus affliguntur, diuersitate rite partiri, partitosque in diuersa conclave distribui. Nam justa aegrorum distributio non solum medicorum et chirurgorum studia subleuat, verum quoque impedit, quo minus aegri contagiosa quadam affectione correpti, alios, morbo non contagioso laborantes, inficiant, aut, si horum morbus ipse ex contagioso-  
rum

rum genere est, natura tamen discrepans, nouo aggrarent, atque ita eorum statum reddant complicatum ac pejorem. Ut alia incommoda taceam, quae hujus rei feria cura evitantur, et ea neglecta propullulant. Ex quibus perspicitur, quam necessarium sit, aegros in Nosocomio non promiscue cubare, sed alio morbi genere implicitos in alia conclavia colloccari. Itaque primo *acuis* breuibusque morbis laborantes, ab illis, qui chronicis detinentur, separandi sunt. Tum etiam ii, quos morbi inflammatorii simplices male habent, ab his, qui morbis putridis aliisque acutis contagiosis laborant, seorsim cubilia habere debent. Deinde uero et hujus posterioris generis morbis, v. c. Febribus putridis, dysenteria, variolis, afflicti a se inuicem separantur et in diuersa distribuantur cubicula. Tandem quoque aegris delirio acuto atque feroci correptis singulibus cubiculis, procul a reliquis, opus est, ne illi alii aegris injiciant terrorem, aut alio modo periculum inferant. — Idem valet de hominibus delirio chronicō affectis, sive maniacis, sive melancholicis, quorum ferociores singulatim asseruandi sunt. At non iatis est, ejusmodi aegros, alios ab his tutos fernandi causa in propriis contineri cubiculis, sed etiam necesse, ut horum custodes diligenter et data opera caueant ne illi ipsi fibi, vel alter alteri, manus uiolentas inferant \*). Ejusmodi distributio etiam quoad aegrotos *chronicis* morbis affectos fiat. Si nempe, quorum morbus nil habet contagii, v. c. hydrope, ietero, obstructionibus uicerum cet. detenti, ab his remouendi sunt, quorum moribus e genere contagiosorum est. Sed uero etiam hi, pro morborum diuerestate, a se inuicem sejungendi

\* Sed quoque omni attentione digna res est, inque multis Nosocomiis neglecta, ut ejusmodi aegri variis tum animi tum corporis laboribus, ipsorum constitutioni et conditioni aptis, continuo exercantur, ac variis generis oblectamentis recreantur et omnino humeriter tractentur. Hac enim agendi ratione simul potest effici, ut istorum hominum ideae fixae, a quibus eti eorum conditio misera non semper primam originem traxerit, semper tamen souetur et alior, quasi mobiles reddantur, aliisque ideis cedentes, tandem prorsus evanescant.

gendi et igitur scabie. Phthisi pulmonali, Iue venerea, cancro, affecti in propria cubicula distribuendi. Hoc adhuc tenendum, et aegris, quorum affectio cum magnis conjuncta est eruciatis, e. g. calculo vexatis, propria conclavia esse tribuenda, ne clamore et gemitu aliorum aegrorum animum commouere atque percellere queant; siquidem omnis animi perturbatio, vel sanissimis hominibus, nedum aegrotis admodum detrimetosa est. Vix opus est adjicere, viros a foeminis esse sejungendos, ut omnis petulantia et libido a promiseua cubatione metuenda, impediatur.

Hoc vero videtur denuo monendum imo inculcandum, quod in antecedenti paragrapgo jam diximus, nimirum necesse esse, ut nonnisi pauci aegri in uno cubiculo decumbant, vtque igitur cubiculorum ambitus aegrotorum in iis decumbentium numero respondeat. Neque vero possum probare sententiam a doctissimo HOFFMANNO b) propositam, nempe vnicuique aegro proprium cubiculum esse tribuendum. Manifestum enim est hoc Nosocomii oeconomiae rationibus proflus repugnare. Nam, vt vnum tantum argumentum illi magno viro opponam, quantus aegris famulantur numerus requireretur in Nosocomio ita partito, totque cubiculis instructo! Sed scriptiunculae hujus limites non permittunt, vt ipsius argumenta ad suam sententiam propagrandam allata, perlustrem ac reuellam. Quo quidem studio eo magis possum superfedere, cum CAROL. STRACKIVS i) illius viri argumenta perstrinxerit ac refutarit.

Attamen multo magis vituperanda vulgaris illa consuetudo est, qua nempe permulti aegri, vel diuersis morbis laborantes, in vnum cubiculum colliguntur et quasi congregantur.

Nam

b) Vid. ej. tractatum, cui titulus est: Von der Nothwendigkeit einem jeden Kranken in einem Hospital sein eigenes Zimmer und Bett zu geben. Maynz, 1788. et aliud ejusdem vii tractatum: Beftichtigung der Nothwendigkeit cet. 1789.

i) Vid. ej. libr. Das allgemeine Krankenhaus in Maynz. Frankf. a. M. 1788. Vol. V.

Nam si magnus aegrorum, praecipue diuersis morbis correptorum numerus in uno eodemque cubiculo reponitur; non modo aer, qui in cubiculo est, tum variis corporum aegrotorum exhalationibus commixtis et confusis, vehementer corruptitur, Sed facile etiam fieri potest, vt si vel unus duntaxat aeger aliquid contagii occulti in se habens, tali in cubiculo reperiatur, ceteri omnes istius cubiculi aegroti inficiantur. Quod etsi quoque potest accidere in conclaibus minus amplis et minorém aegrotorum copiam continentibus; manifestum tamen est, damnum illud grauius esse hoc. Nam quis nesciat, rationi magis consentaneum esse, periculo minori, quam majori se exponere? — Et profecto partim neglecta cura quoad aegrorum pro morborum diuersitate distributionem, partim nimis magnus illorum in unum cubiculum collectus numerus, faepissime effecit, vt febris, a Xenodochiis nomen habens, in his oriretur, imo multis eorum esset communis ac familiaris. Sic PRINGLIUS narrat, febrem quandam malignam in admodum amplio aegrorum cubiculo omnes aegrotos, quotquāt in eo deprehendebantur, corripuisse, hujusque cladi causam fuisse hominem, Sphaeculo pedis laborantem <sup>k)</sup>. Ut alia omittam exempla.

Cubicula altos parietes habentia, magis esse salubria quam humiliora, nullum admittit dubium. Nimirum, vbi major altitudo est cubiculi, majorem illud aeris puri copiam aegrotis praebet, daturque mephitico aeri qui ex pulmonib⁹ et cute dimanat, satis amplum spatium, in quod, vt pote puro leuior, se recipiat.

### S. VI.

#### *De conservanda aeris salubritate.*

Aerem, et si non unicum, tamen praecipuum vitae pulsulum esse, cum antiquoribus medicis atque philosophis intel-

<sup>k)</sup> Vid. ej. Beobachtungen über die Krankheiten der Armee, a. d. Engl. übers., von A. E. Brande. Altenburg 1772. p. 17.

intellectum, tum recentiorum studiis comprobatum et extra omnem dubitationem positum est. Nec tamen nisi puro aeri et perpetui renouato haec laus tribunda est. Nam stagnans, vel corporum exhalationibus refertus aut mephiticus factus, eamque ob causam respirationi ineptus redditus, hominum vitae perniciosissimus est. Quid enim magis pestiferum cogitari potest, quam aer hominum aegrotorum variis ac diuersis effluviis grauis atque inquinatus? Nec facile frequentior causa est, quam obrem tot strages Libitina furens in Nosocomiis edat, quam iste aeris puri neglectus, qui multos etiam mouit, ut Nosocoma reipublicae perniciosa esse existimarent, pauperibusque aegrotis medicamenta et victum ex communi aerario ostiatim dispensari malent. Qua de re omni studio curandum, ut in unoquoque Nosocomii cubiculo, praefertim in iis, quae aegrotos continent, aer saepissime renouetur et omnino quantum fieri possit, semper purus sit ac recens.

Variae autem sunt ejus in aegrotorum conclauibus renouandi ac emendandi viae, quarum aliae appellari possint vulgares, aliae artificiales. Inter illas numero primo frequentem fenestrarum atque januarum, imprimis fibi oppositarum aerationem, qua efficitur, ut tum aer ex aliquo tempore in cubiculis inclusus, ex illis expellatur, tum nouus et liberius ea intret; deinde, hiemali tempore, furnos anemios atque caminos, qui, accenso igne partim vapores, in cubiculis aegrotorum stagnantes, exhausti, partim hac sua illos ad se trahendi potestate efficiunt, ut nouus et liberius aer per fenestrarum et januarum rimas aliasque aperturas in cubicula adfluat. Hae, etsi vulgares et simpliciores satis tamen efficaces, aeris in conclauibus renouandi emendandique methodi sunt.

Artificiales aeris in Nosocomiorum, ut aliarum aedium, cubiculis renouandi et corrigendi viae spectant tum ad illa fenestrarum applicita instrumenta, quae *ventilatores* nuncupantur, et motu suo nouum aerem in cubicula inferunt, tum ad *canales* et *foramina* partim in cubicolorum pavimento, partim in ejus tegmine, vel in hujus vicinia facta, et cum aere atmosphaericō communicantia; quippe quorum alteris nempe in

C cubiculis

cubiculorum paumento \*) factis, aer nouus in illa fertur, alteris, i. e. in conclave tegmine, vel prope hoc, constitutis, aer ex illis exterminatur. Hae methodi, cum earum ysu aer in aegrorum conclavebus perpetuo et simul leniter agitur ac renouetur, adeoque omnis ipsius stagnatio prohibetur, illis vulgaribus aerem purgandi ac renouandi rationibus sine dubio adhuc praeferebantur fuit, atque a PRINGLIO *l*), DVHAMELIO *m*), WARGENTINO *n*), BVCHOLZIO *o*) et aliis compluribus valde commendantur.

Quas hactenus commemorauimus rationes, eae spectant duntaxat ad aerem corruptum ex aegrorum cubiculis ejiciendum, et atmosphaericum, i. e. meliorem ac liberiorem in ea induendum. Sed sunt etiam adminicula, quibus aer in cubiculis inclusus directe et quasi immediate melior reddi possit.

Efficacissima aerem in aegrotorum cubiculis corrigendi ratio, si perfecta ejus renouatio non habeat locum, ab ALDERSONIO *p*) et BVCHOLZIO *q*) haec esse dicitur, vt vasa, aqua calida

\*) In primis si juxta fornacem aut caminum constituta illa sunt. Quoniam enim hic loci aer propter majorem calorem magis tenuis est, quam in locis remotioribus, iste irruenti per canales seu foramina illuc applicita, aeri minus relinet, vel quod idem est, hujus introitum magis adiuuat. Qua de causa STRACKIVS suadet, hos canales, quos adducentes (Einhäucher) nominat nec non illos, aeri ex cubiculo exterminando aptos et ab isto viro *reducentes* (Durchhäucher) dictos, in camino ipso constitueret, vid. ej. orationem: de nouandi ratione et purum reddendi aerem intra Nosocomia carceresque 1770.

*l*) Vid. Philosophical Transactions Vol. XLVIII. p. 42.

*m*) Histoire de l'academie royale des sciences, année 1748. Memoires, p. I.

*n*) Kongl. Svenska Vetenskaps Academiens Handlingar 1757. Vol. XVII.

*o*) Vid. ejus Bemerkungen über die verdorbene Luft in Gefängnissen, Zuchthäusern, Spitälern etc. und die Verbesserung dieser verdorbenen Lustarten, Erfurt 1794.

*p*) Vid. Versuch über die Natur und Entstehung des Ansteckungsgiftes bey Fiebern, von JOHANN ALDERSON, a. d. Engl. übersl. und mit Anmerk. versehen von D. BVCHOLZ.

*q*) Vid. l. c. p. 17. 18. 19.

lida repleta, in illis ponantur, aut, quod adhuc melius sit, vt aqua calida ex vno vase in alterum fundatur, donec facta sit frigida. Putant nempe isti viri, aquae calidae effluvia majori vi ab aere attrahi, corporum aegrotorum exhalationibus, hasque idcirco praecipitari. Sed, vt praetermittam, aliam causam, eamque magis luculentam, adferri posse, quam propter aquae calidae vapor aerem emendet, quoniam nempe aer dephlogisticatus, aliquam aquae purae partem, secundum recentiorum phycorum placita, constituens, ex illis euoluitur: planum est atque perspicuum, neque omni tempore, neque in omni morborum genere, hanc aerem corrigendi rationem locum habere posse.

Magis itaque commendanda haec est ratio, qua carbonibus candentibus adsperrigitur nitrum, quippe quad, cum itidem aerem dephlogisticatum contineat, igni expositum, istum finit exire. Sed quoniam magnesium vitriariorum vilioris pretii est nitro et simul plus aeris vitalis s. dephlogisticati continet, jure ad hoc consilium nitro illud praferendum est r).

Acetum in aegrotorum cubiculis sparsum, etsi multis ex illis, tamen non omnibus aptum est. Namque iis, qui tussi, asthmate, phthisi pulmonali, laborant, experientia duce, nequam conuenit.

Ad aerem corruptum corrigendum magnam quoque habent vim frondes arborum et plantarum, neque suauem, neque grauem odorem spargentium, in conclauibus locatae. Namque ejusmodi plantae interdiu, inprimisque si luci solari expositae sunt, non modo aerem dephlogisticatum emitunt, verum etiam aerem phlogisticatum et fixum attrahunt ac resorbent.

At vero ad aerem integrum et salubrem in aegrorum cubiculis seruandum requiritur etiam, vt omnia ea, quae illum possint inquinare ac peruertere, arceantur, et, quam primum extiterint, statim remoueantur. Itaque omnis generis excrementa aegrorum, vt et linteal, quibus issi aut ad contegendum, aut ad purgandum corpus ysi sunt, ne per exiguum quidem

C 2 tem-

r) Vid. Sig. Fr. HERMSTAEDT physicalisch-medicinische Versuche und Beobachtungen, B. 2. Berlin 1789.

temporis spatium in cubiculis relinquuntur. Igmar matulae ac lasana, quibus aegri opus habent, statim post eorum usum ex cubiculis efferenda, ne effluuii suis aerem corruptant. Fas- ciae etiam ac linteae earpta, quibus in vulnerum ulcerumque curatione chirurgi vtuntur, sicuti pure aut sanie contaminata sint, itidem ex cubiculis confestim eliminanda. Immo ne vasa quidem, alimentorum reliquias continentia, in aegrorum cu- biculis relinquendi debent. Omnia denique odoramenta, v. c. plantae ac flores, siue suauem, siue grauem odorem exhalantes, ab illis arcenda sunt.

Vt non modo cubiculorum pavimenta et lectorum ful- era, verum etiam latrinae, saepius purgantur et abluantur, cum munditiae studium, quod et Nosocomiis magnae commen- dationi est, suadet, tum horum salubritatis feria cura effla- gitat.

Curandum etiam est, vt latrinae cum flumine, aut saltem, ope canarium vel spiraculorum, cum aere libero communicent, et, quae continent excrements, ea saepius exhaustantur, ne ipsorum effluvia Nosocomii salubritati adverterentur. Qua de re quoque conuenit, illas a cubiculis satis esse remotas. Ex dictis patet, et in his Nosocomi cubiculis, quae sani homines inhab- bitant, munditie studium minime negligendum esse; quod qui- dem maxime colendum est ab iis, qui aegris famulantur.

Satis dictum est de conseruanda aeris in Nosocomiis salu- britate,

### §. VII.

#### *De cura quoad necessariam supellectilem.*

Supellex in Nosocomio quis necessaria, comprehendit lectos, vestimenta, industria et alia linteamenta, vasa ad cibum et potum capiendum apta, mensas, sellas, imprimis tales, quae aegrorum et conualescentium quietem magis adjuvant, nempe acclinatorias, porro, vasa ad materiam excretam excipiendam facta, matulas et lasana, nec non uasa, ano, foecum excipiendarum ergo immediate applicanda; deinde, talia vasa, quae ad sanguinem, e vena missum, excipiendum commoda sint notis- que

que excepti illius quantitatem declarantibus insignita, nec non instrumenta quae ad scarificationem requiruntur, porro, vitra vrinaria, instrumenta ad clysteres, etiam tales, qui ex herbae Nicotianae fumo constant, applicandos, deinde vase ad balnea varia idonea, sedilia, lora et singula, ad furiosos, sive phreniticos, sive maniacos, coercendos fabrefacta, et tandem mensam, in qua aegroti lithotomiam aliasque operationes chirurgicas grauiores subituri, supini collocari et commode firmari possint.

Necesse itaque est, ut Nosocomii praefecti et curatores hujus supellectilis tum justae copiae, tum bonitati, omni studio et diligentia propiciant. Videt autem unusquisque, per harum pagellarum spatium mihi neutquam licere in exponna fissa ista supellectili diutius versari. Et quod variorum aliorum instrumentorum non fecimus mentionem, excusatos nos habebunt ii, qui cogitabunt, per se patere, etiam nobis non monentibus, in Nosocomio bene instituto fappetere debere cum instrumenta ad graues et arduas operationes chirurgicas necessaria, tum varias res ad vitae commoditatem spectantes. Volo tamen quaedam, ad lectos pertinentia, hic proponere, quoniam haec res omni attentione digna est.

Et primo quidem quod attinger ad stragula, minime ferendum est, ea plumis esse referta. Etenim hae, tempore prodidente, prauam indolem contrahunt, quod eo fit celerius, cum corporum aegrotorum effluvia, eaque saepius pessima, istarum corruptionem haud parum promoueant. Sed debent potius haec stragula pilis variorum animalium, praecipue equorum, et materia lanae constare, infima autem eorum, impensis parcendi gratia, non nisi stramine. Supremum, i. e. quo corpus tegitur, constet ex materia lanae, linteo conclusa, sitque pro aegri constitutione, et morbi, quo affligitur, natura, plus minus leuis. Media culcita in qua nempe corpus immediate decumbit, sit animalium pilis differta et linteo cunctecta. Ex eadem materia pareatur puluinari capiti subdandum. Est autem luculentum, haec omnia saepius aeri libero exponenda, quin eluenda planeque purganda esse; et igitur requiri, ut fatis magna

magna stragulorum copia in Nosocomio suppetat, quo nempe alia cum aliis possis commutare. Quam quidem stragulorum alternationem, pro aegrorum, in ipsis cubantium, conditione, plus minus saepe esse repetendam, aequa apertum est. Proximum est dispicere, an singuli aegrotantes in cubilia singula reponi debeant, an plures in vnis lectis cubare licitum sit. Ego vero neminem vel mediocriter medicinae gnarum et humanitatis sensu imbutum fore existimo, quin Nosocomiorum, quae multos aegrotantes in paruis cubilibus cumulant, exempla perhorrescens, singulis singulos lectos sternendos esse censeat. Nam vel sanorum hominum valetudini magis conuenit, solos, quam cum alio vel pluribus hominibus, cubare, cum omnis pulmonum et cutis halitus vtut ex sanissimis corporibus promans, aerem contaminet et insalubriorem reddat. Quid igitur de aegrotis dicamus? quorum exhalationes, ab impuris corporibus profectas pestilentiores esse appetet. Ut taceam, aegrotos in lectis cumulatos, sibi mutuo nauseam creare, qua animi affectione corporis valetudinem grauissime affligi certum est.

Lectorum fulcra ex ligno fatis duro struenda sunt, nisi ferri, quae omnium optima materia est, impensam ferat aerarium.

Sic etiam maxime congruum, lectos tum inter se, ne alter aeger alteri suis exhalationibus noceat, tum a muro, vt eos possis circumire, satis remotos esse, nec non a fornace aut camino, ne vllus nimio calore offendatur.

An conopeis lecti circumdandi sint, dissentient auctores, quippe quorum alii ea commendant, alii rejiciunt. Meo quidem judicio sic dicti parietes portatiles iis praferendi, cum conopea aerem stagnantem retineant eumque, si quid spurcitiae illis adhaeserit, contaminent. Eadem ob causas suadendum est, vt parietes portatiles non, nisi res postulet, explicentur et circum aegrorum lectos ducantur, etiam necesse vt saepius purgantur. Ex quo intelligitur, in cubiculo, vbi v. c., quinque vel sex aegri deprehendantur, unum tantum ejusmodi parietem, ad summum duos requiri.

Cuius



Cuius etiam lecto adjungenda sella lignea et ad pedes aegroti tabula in qua medicamina, alimenta etc. collocentur. Singuli lecti numeris adscriptis, commoditatis causa notandi sunt.

### §. VIII.

#### *De aegrotorum in Nosocomiis victu et curatura.*

De aeris puri et incorrupti utilitate deque variis eum integrum ac salubrem in Nosocomiis seruandi viis, jam disputauimus. Nunc exponamus quaenam in Nosocomiis alimento rum genera aegris praebenda sint, et quae omnino ipsis habenda curatura.

Clarum autem est atque perspicuum, in tam variis morbis tamque diuersis, quibus hominum genus et igitur etiam in Nosocomia suscepiti aegri solent affligi, non vnam eandemque victus rationem, nec omnino eandem aegrotis curaturam adhiberi posse, sed illam aequa atque hanc valde multiplicem esse oportere. Attamen non modo in victu, sed etiam in curatura aegrotorum vniuersa simplicitatis quaedam ratio habenda. Nam in tali domo, quae magnum aegrorum numerum continet, non singulis illorum satis exquisitam et quasi delicatissimam curam haberri posse, sed, vt ita dicam, normam quandam generalem, in tractandis aegris sequendam, vel, quod idem est, magis ad diuersa corporum et morborum genera ac species, quam ad singula individua et infinitas quas morbi pro temperamenti, idiosyncrasiae et aliarum rerum diuersitate induunt, formas, respiciendum esse, facile intelligitur.

Praecipue vero in his rebus attendendum est ad principem illam morborum differentiam, qua nempe in acutos et chronicos dispescuntur. Alio enim modo his laborantes, alio illis afflicti, tum quoad cibum et potum, tum quoad usum certarum rerum non naturalium, tractandi sunt. Iis nempe, quos acutus morbus invasit, talia praebenda cibi potusque genera sunt, quae motus vitales ultra modum excitatos et quasi aestuentes moderantur, humorum orgasmum temperant, nimiam eorum in putredinem propensionem, siue a virium impetu profectam

fectam, sive ab harum languore et humorum peruersitate, creatam, coercent et vario materiae morbificae generi omninoque variae humorum prauitati resistunt. Itaque alimentis ex regno vegetabilium de promptis maximam partem in his morbis utendum est. Saepe abstinentia ab omnibus fere alimentis solidis in initio ac vigore hujusmodi morborum, natura ipsa duce, valde commendanda. Sic etiam quies tum animi tum corporis quamplurimum ad istorum impetum frangendum confert. Quare summopere cauendum est, ne ejusmodi aegri quacunque demum animi commotione rapiantur. Namque animi motus turbulenti vel sanissimi hominibus, nedum morbis acutis laborantibus infesti, immo pestiferi sunt. Cum vero in morbis acutis vitae vires mox nimis impetuose ac turbulenter, mox, et si satis valide, tamen nimis inconcinnae inordinateque agant, mox tandem, aequae ac in chronicis, suppressae aut languentes ac torpidae deprehendantur: appareat, non in omnibus morbis acutis, nedum in quoquis eorum stadio, eadem cibi potusque genera adhibenda esse, sed modo admodum parce nutrientia, et non nisi ad vitam sustentandam ac humorum jacturam reparandam idonea, modo calidiora, roborantia, et quae vires refocillant, requiri. Eadem aeris ratio est. Nunc enim frigidiusculus, nunc paulo calidior, nunc siccus, nunc paululum humidus, uno verbo modo sic, modo aliter comparatus morbis acutis correptis magis conuenit. Sed de aeris salutaris et aegrotis apti cura jam paragrapho sexta disputauimus — Eadem quoque ratio est vflus ceterarum rerum non naturalium. — At facile perspicitur, morborum acutorum, vt et corporum aegrotantium aliarumque rerum, v. c. consuetudinis diuersitatem nobis non permittere, vt certas et ad omnis generis morbos acutos, in omnibus ipsorum stadiis rite tractandos quadrantes regulas hic stabiliamus, sed medicorum et chirurgorum in Nosocomiis artem exercentium judicio relinquendum esse, vt decernant ipsi, quae in hoc, illoue morborum istius classis genere victus ratio, quique ceteris rebus non naturalibus utendi modus locum habeat.

Quod



Quod attinet ad morbos chronicos, in vniversum hoc notandum est, in iis tales cibos et potus suppeditandos esse, qui vitae vires, quippe quae in hac morborum classe torpidae ac inertes deprehenduntur, excitant, variam humorum acrimoniā prauitatemque emendant et expellunt, ac solidarum partium tonum restituunt. Plerumque aer siccus et modice calens in his morbis magis conveniens est, quam oppositis proprietatis instructus. Nam plurimi eorum a transpiratione suppressa ortum suum traxerunt, in aliis ista functio, qua vix vlla ad corporis vigorem sustentandum magis valet, admodum languida est, omnes denique ea aucta facilime profligantur. Atqui nihil fere magis ad transpirationem suppressam restituendam, languentem promouendam augendamque idoneum est, quam aer siccus et calidus. Et quemadmodum hominibus morbo acuto decumbentibus quies, sic chronicō afflictis motus et agitatio corporis magis opitulari solet. Nam corpus sedulo exercendo ipsius vires excitantur, animus redditur hilaris, et hac duplii de causa transpiratio promouetur atque sustentatur. Quocirca etiam curandum est, vt ne ejusmodi morbis afflicti, aut somno, in quem saepe admodum proclives sunt, aut talibus animi affectionibus quae corporis animique vires depriment atque debilitent, vt moerori, tristitia, nimis indulgent. Sed quoniam morbi chronicī magis adhuc inter se differunt, quam acuti, minus nobis hic licet constituerē, qui cibus, qui potus quaeque omnino cura singulis illorum generibus ac speciebus maxime conueniant. Adjungamus itaque tantum quaedam ad Nosocomii famulitum spectantia.

Aegrorum custodia nullis nisi corporis et mentis valetudine gaudentibus, probis, sincero ac minime obstinato aut morofo, constanti tamen animo instructis, demandanda est. Officia enim ab hominibus isto munere perfungentibus, diligenter praestita, plurimum valent ad aegrorum salutem restituendam, plus forte, quam ipsorum medicorum et chirurgorum follertia. Iam quaeftio oritur, viri, an foeminae aptiores ad hoc munus censi merito queant? Meo judicio conferendum id est foeminis, quae viros plerumque misericordia, indulgentia, munditiae studio

antecellunt, ut alias causas, quibus sententiam meam confirmare possem, praetermittam. Quod numerum hoc munus obuentium attinet, facile intelligitur, eum numero aegrotorum debere esse accommodatum. Secundum plurimorum auctorum sententiam duodecim famuli aut famulae ducentis aegris tribuenda, quorum vices alternent. Iam vero ut hi vel hae munera suo rite solliciteque fungantur, videant ac studiose carent medicus atque chirurgus. Illorum enim diligentia, ut horum studia adjunat, ita negligientia iis est obstaculo.

#### §. IX.

##### *De Nosocomiorum praefectis et curatoribus.*

Quemadmodum res priuatorum patrisfamilias socordia et negligientia pessimum datur solent; ita Nosocoma ex eorum qui praefecti illis sunt negligenter, imprudentia et cupiditate damnata grauissima patientur. Propterea nullis nisi probis, sapientia et vigilanter praecellentibus viris hujusmodi domum cura demandanda est. Etenim si illis virtutibus carent, ab his, qui suis officiis non faciunt satis, facile possunt decipi; improbi autem et fraudulenti cupiditate et avaritia ducti non modo aegrotorum commoda negligunt, verum etiam ex illorum damno turpe lucrum querunt. Istorum autem virorum officia explicare inutile foret, cum nomen jam ipsorum ea denotet. Quis enim non perspiciat, illos id debere agere, ut medici, chirurgi, horumque adjutores, tum parabolani, aliquae Valetudinarii ministerio adscripti officiis suis rite perfungantur; porro, prospicere, ne cibis, medicamentisque idoneis aegroti fraudentur, ut omnia bene ordinata sint, curare; denique redditus impensasque rationibus inferre.

#### §. X.

##### *De medicis et chirurgis Nosocomiorum.*

Nunc venimus ad enumerandas explicandasque cum animi tum corporis facultates, quibus medici et chirurgi, in Nosocomio artem exercentes, instructi esse debeant. Ante omnia inge-

ingenio, doctrina et artis vsu sint spectatissimi; deinde sensibus externis, imprimis nobilioris generis, visu nempe, auditu, tactu, sat acutis praediti, et omnino bona utentes valetudine; porro intrepidi, continentes, casti, sobrii, misericordes et comes. Virtus enim laus omnis, vt recte ait Cicero, in actione consistit. His animi et corporis facultatibus ornati valebunt ad tot tantaque munera, quot quantaque ipsis incumbunt, ex-plenda. — Sed medicorum et chirurgorum numerus aegrotorum numero, morborumque, quibus affliguntur, conditioni debet esse aeque accommodatus atque numerus parabolatorum. Medicus nempe non potest plus centum et quinquaginta aegros, acutis morbis laborantes bene curare, neque plus trecentos ex his, qui chronicis detinentur. Chirurgas vero ad summum viginti aegros morbis externis, imprimis grauibus affectos, quotidie rite tractare valet, idque eo magis, cum vel internis corrupti ejus auxilium saepius postulent.

### §. XI.

#### *De medicamentorum pro Nefocomiis delectu.*

De medicamentis, quae in Nefocomiis in usum vocari debent, nihil opus est dicere, praeter hoc, si delectus locum habeat inter pretiosa, et quae minoris sunt pretii, haec, pecunias parendi ergo esse adhibenda; alias, si a nullis nisi pretiosioribus morbi leuamen expectandum sit, his viliora non substituenda esse, quorum inertia, cum nihil aegrotis profutura essent, morbi traheantur, decepta turpi spe lucri, quod avaritia aucupabat. Quae omnia vt recte peragantur valetudiniorum praefecti curare debent,

### §. XII.

#### *Conualescentium cura.*

Denique accedamus ad curam conualescentium, que quidem eo reddit, vt ab aegrotis, iis praecipue, quorum morbus econtagiosorum genere est, sejungantur, ideoque propria habeant cubicula; deinde, vt, si tempestatis ratio permittat, in horto

D 2

aut



aut area subdiali, Nosocomio adjunctis, interdum deambulant, corpusque moderate exerceant, idque agitando, varia objecta contuendo tractandoque, animo, cuius in restituendam aequem ac conferuandam sanitatem ingens est potestas, hilaritatem adferant, digerendique instrumenta reddant aptiora, non modo ad appetenda, verum etiam, quod caput rei est, ad rite subigenda alimenta. Ut vires tum vniuersi corporis, tum praeципue digerendi instrumentorum restaurentur; etiam medicamentis sic dictis roborantibus atque stomachicis opus esse, per se patet. Quamuis vero, ut alimentorum appetitus conualecentibus redeat, eique satisfiat, curandum variis modis est, tamen etiam cauendum, ne vires coctrices, nimio cibo, appetitu eique haud raro luxurianti quasi, suppeditato, debilitentur, atque ita aut morbus jam fugatus, redeat, aut alias conualecentem corripiat; quod quidem malum, cum in corpus antecedenti morbo jam labefactatum incidat, ut plurimum pejus est priori.

### *E p i l o g u s .*

Haec sunt, quae volui dicere de Nosocomiis ciuicis. Sentio equidem ipse, quam manca et imperfecta sint de hoc gravissimo arguento, et rerum publicarum gubernatorum attentione dignissimo, a nobis proposita. Sic v. c. exempla rite institutorum Nosocomiorum plane nulla attuli. Sed vero explicatius atque diductius de eodem isto arguento disputare vetabat ejusmodi opusculorum, quale hoc meum est, modulus, et doctius atque summorum illorum virorum personis magis dignum id ipsum efficere, non permittebat mearum virium tentuas.

1620  
1620  
1620  
1620  
1620  
1620  
1620

**ULB Halle**  
003 067 572

3



TA-01





1795, 22

DE  
RITE INSTITVENDIS  
NOSOCOMIIS CIVICIS.

SCRIPSIT

E T

S V M M O S A R T I S M E D I C A E H O N O R E S

I M P E T R A N D I C A V S A

G R A T I O S I M E D I C O R V M O R D I N I S A V C T O R A T E

P R A E S I D E

D. IOANNE GOTTL OB HAASIO

A N A T O M , E T C H I R V R G . P R O F . P V B L . O R D . F A C . M E D .

S E N I O R E R E L .

A. D. V. Jun. CCXCV.

A D D I S C E P T A N D V M P R O P O S V I T

A V C T O R

F R I D E R I C U S A U G U S T U S  
W A G N E R

D R E S D E N S I S

M E D I C I N A E B A C C A L A V R E V S .

L I P S I A E

E X O F F I C I N A R I C H T E R I A N A .

